



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De naturali ordine comparationis dierum, & de illo, qui pro mysterio
introducitur est. E. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Beda ut re-
fertur in
gl. ordina-
ria ad illud
Factum est
vespere &
mane. Gen. 1*

rum Dies, scil. naturalis, qui habuit vesperam sed non mane. Mane enim dicitur finis præcedentis, & initium sequentis diei, quod est aurora: quæ nec plenam lucem, nec omnino tenebras habet. Manè ergo primus dies non habuit: quia nec dies præcesserat qui sequentis diei initio terminaretur: & eo præcipuè, quia luce apparente, mox super terram plenus atque præclarus dies exitit: qui non ab aurora, sed à plena luce inchoavit: & mane sequentis diei consummatus est. Unde Beda super Genes. Decebat, ut dies à luce inciperet, & in mane sequentis diei tederet. ut opera Dei à luce inchoasse, & in lucem completa esse significaretur. Reliqui autem dies manè habuerunt, & vesperam: quorum quisque à suo manè incipiens, usque ad alterius diei manè tederetur. *De naturali ordine computationis dierum, & de illo qui pro mysterio introductus est.* E

Hic est naturalis ordo distinctionis dierum, ut distinguantur atque computentur dies à mane usque ad manè. Postea verò in mysterio factum est, ut dies computentur à vespera in vesperam, & adiungatur dies præcedenti nocti in computatione: cum iuxta naturalem ordinem præcedens dies sequenti nocti adiungi debeat: quia homo à luce per peccatum corruit in tenebras ignorantie & peccatorum: deinde per Christum à tenebris ad lucem rediit. Unde Apostolus: Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Primus itaque dies non ab aurora, sed à plena luce incipiens, & post vesperam paulatim occidit e luce excipiens manè sequentis diei, expletus est. Unde Beda, Occidit e luce & paulatim post spatium diurnæ longitudinis inferiores partes subeunte, factum est vespere: sicut nunc visitato cursu Solis fieri solet. Factum est autem manè eadē super terram redeunte, & alium diem inchoante: & dies expletus est vni viginti quatuor horarum. Fuitque nox illo triduo omnino tenebrosa, quæ post creata sidera aliqua luce claruit. *CUR*

*Beda gl. or-
dinaria ad
illud idem
Gen. 1. Fa-
ctum est ve-
spere & ma-
ne dies unus.*

Cur Sol factus est. si lux illa sufficiebat.

F

Solet autem quæri, quare factus est Sol, si lux illa ad faciendum diē sufficiebat? Ad quod dici potest, quoniam lux illa forte superiores partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat. Vel potius idē, quia factō Sole diei fulgor auct⁹ est. Ampliori. n. multo luce radiavit dies postea, quā ante. Si autem quæritur, quid de luce illa factum sit, cum modo nō appareat? Potest dici, aut de ea corp⁹ Solis formatum, aut in ea parte cœli esse, in qua Sol est: non quod ipsa sit Sol, sed sic ei vnita vt discerni non valeat.

Quomodo accipiendum sit illud, Dixit Deus; an sono vocis id Deus dixerit, an aliter.

G

Præterea inuestigandum est, quomodo accipiendum sit quod ait: Dixit Deus, vtrum temporaliter, vel sono vocis illud dixerit, an alio modo? *Lib. 1. cap. 2. in princip. tom 3.* Aug. super Gen. tradit, nec temporaliter, nec sono vocis Deum locutum fuisse, quia si temporaliter, & mutabiliter. Et si corporaliter dicatur sonuisse vox Dei, nec lingua erat qua loqueretur, nec erat quem oportet audire & intelligere. Bene ergo vox Dei ad naturam verbi, per quod *Cap. 4. in princip. e. in eodem lib. 1. de Gen. ad litteram.* omnia facta sunt, refertur. Dixit ergo Deus fiat, &c non temporaliter, non sono vocis, sed in verbo sibi cœterno, i. verbū genuit intēporaliter in quo erat: & disposuit ab æterno, vt fieret in tempore: & in eo factum est.

Quomodo accipiendum sit, quod dicitur pater operari in filio, vel per filium, vel in spiritu sancto.

H

Hic quæri solet, quomodo accipiendum sit, quod dicitur pater operari in filio, vel per filium, vel in spiritu sancto. Hæc enim scriptura frequenter nobis proponit: vt, Omnia in sapientia fecisti Domine, id est, in filio, creauit Deus cœlum & terram. Et illud, Per quē fecit & secula. Super illū quoq; Psalmi locum: Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. dicit Aug.

Aug. concio. ne 2. ad ver-